



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ
Præcones**

Stengel, Georg

Ingolstadt, 1645

§. 9. Serpentis cum Eua collocti forma & pulchritudo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

loqui linguis, quas ipsi etiã arreptitij nunquam intellexerunt; aut quo pacto bonus angelus, per asinam, Balaam malè euntem Num, 22. castigauit. His ita se habētibus, posset merito quispiã scripturæ imperitus quærere. 30.
Cur serpente omni callidior cacodæmon, illis exuuijs, aut induuijs vsus sit? Ineptè enim laruam formidabilem inducit, qui vult blandiri; neque terrere debet auceps aues, quas vult fallere. Cùm igitur serpentis aspectus sit horribilis, incallidè posset videri fecisse insidiator ille, quando, in serpente, Euam compellauit. Sed profectò incallidè non fecit, cùm illi cognitissimum esset, ita tunc animal omne hominis esse in potestate, vt nullum Euæ nocere, nullum ei horrorem, aut timorem iniicere posset.

§. IX.

*Serpentis cum Eua collocti forma
& pulchritudo.*

Sunt qui existiment, serpentem maximè opportunum fuisse ad Euam deliniendam, ac iucundissimè deuinciendam, cùm astutissimus humani generis hostis utiq; non deformem aliquem, sed vnũ de venustioribus delegerit, quem Scytalem vocant, de quo

Z Solinus

Solin.
cap. 29.

Philip.
Melanch-
thon. in
explicat.
Euāg. die
pascatis.
cap. I.

Solinus tradit, quòd tanta præfulgeat tergi
varietate, ut notarum gratia, videntes retar-
det, & quoniam reptando pigrior est, quos asse-
qui nequit, miraculo sui capiat stupentes. Ho-
die adhuc in Asia circumferuntur serpentes,
in quibus habitat diabolus, ait diaboli quidā
apostolus. Bonum est, adolescentes hoc scire.
Sunt quidam præstigiatores, in Asia, qui cir-
cumeunt per totas insulas, & gestant serpen-
tes, quibus saltantibus, putant purgari domos;
sic, ut nulli serpentes intrent, aut inficiant eas
ades (audiui ista à bonis & honestis viris, qui
viderunt) ita autem agere solent. Gestant ser-
pentes in vase cupreo, unum atq; alterum: &
cùm veniunt in domum, aperiunt vas, & in-
cipiunt ludere tympanis, tūc paulatim assurgit
serpens, & aperit rictum oris, ex quo, post
incantationem, prædit caput facie virginea pul-
cherrima. Est imaguncula similis capiti virgi-
nis. Tandem iterata incantatione sensim retra-
hit serpens, & abdit caput in os. Ipse verò ser-
pens fit læquidus, & quasi exanimatus recidit,
quia diabolus cruciat eum. Hæc non sunt fa-
bulosa. Et sic diabolus transformavit se in ser-
pentem, quando decepit Euam & Adam. Pro-
nā utique illecebrā, si non fabulosa, & cui
subscribunt quidam pictorum penicilli,

§. X.

S. X.

Cur Deus permiserit Eam tantum à diabolo,
specie serpentis, tentari?

Quanquam & illud, cum D. Augustino dici possit: *Non esse putandum, quod diabolus serpentem, per quem tentaret, elegerit; sed cum decipere cuperet, non nisi, per illud animal potuisse, per quod posse à Deo permissus est. Nocendi enim cupiditas inest cuiq; à se; sed potestas à solo Deo est.* Quod si quis scire velit, cur DEVS non permiserit dæmoni, in leonis, aut draconis, aut alterius immanioris bestię larua hominem aggredi? respondent sacri interpretes, ipsum dæmonem fuisse, quavis bestia immaniolem ac fortiolem, quia *non est super terram potestas, qua comparetur ei, qui factus est, ut nullum timeret;* sed noluisse diuinam prouidentiam, ut homini, in statu innocentię, vis inferretur. Usque adeo cum vndique muniuit, ut, nisi liberè vellet, non posset superari, aut capere detrimentum. Itaque, quem viribus non potuit vincere, fraude cepit Orcus. Ad fraudem autem aptissima erat callidissima bestiarum; ex cuius proinde intuitu solo moneri potuit Eua, ut à fraude sibi cauere. Non cauit misera: digna igitur facta

Z 2

est,

S. Augustin. li. 11. de Genes. ad lit. cap. 3.

Iob. c. 1.